UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput XI. Solutiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81382

Visual Library

ille, qui antrorsum, vel retrorsum, sursum, vel deorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum, introrsum, vel extrorsum premitur inevitabili, atquè irresistibili determinatione ad unum, inevitabili, atque irresistibili impossibilitate ad alterum. Omnes quippè istæ variationes signorum videntur mera verba, quando subsistunt hæc duo prædicata. Sicut esse album, vel nigrum, esse sursum, vel deorsum, sunt mera verba ad negandum, subjectum esse hominem, quando in eo subsistit geminum hoc prædicatum *Animal rationale*, & aliàs similium verborum fumo poteras defendere, Beatos, & Christum Dominum esse verè, & simpliciter proximè liberos ad peccandum, atquè hominem incarceratum esse similiter liberum, ut eat, quò voluerit: & damnatos fungi nunc de præsenti verâ & proximâ facultatè diligendi DEUM super omnia: Siquidem singuli dicti habent respectivè dictas facultates pro quibusdam respectivè casibus. Secunda est affinis ei, quam nuper dedimus. Omnis qui habet veram potestatem subordinatam DEO, faciendi à priori, nè existat terminus connexionis metaphysicè absolutè, ac determinatè, habet veram potestatem subordinatam DEO, tollendi à priori immediatè, aut mediatè fundamentum illius connexionis, nisi fortè jam sublatum sit v.g. eo ipso, quod convellantur fundamenta domus, tota hæc corruet; si quando adhuc stat, habes veram facultatem à priori, subordinatam quidem DEO, convellendi, fundamenta, habes similem facultatem similiter subordinatam, faciendi, quod tota domus corruat. Item eo ipso, quod cervices rescindas Turcæ, infallibiliter deficiet ejus vita. Si quando adhuc ille vivit, habes facultatem subordinatam DEO, rescindendi à priori illas cervices; patem habes facultatem faciendi, ut vita illius deficiat, & in cæteris simili modo: Sed homo, qui liberè consentit habet veram facultatem à priori, licet DEO subordinatam, faciendi, nè existat consensus (hic opponitur quidem suæ non existentiæ, sed non cum potestate ad suam non existentiam, quæ sunt res valdè diversæ) cum quo intimè connectitur absolutè, ac determinatè dictum complexum, quod in eo casu non ponitur sublatum, sed positivè existens per vos; Ergò habet veram facultatem à priori, licet subordinatam DEO, tollendi mediatè, vel immediatè istud complexum; Ergò si nullam prorsus habet facultatem adhuc subordinatam DEO tollendi mediatè, vel immediatè istud complexū, ut vos censetis, nullam habet facultatem adhuc subordinatam DEO ad omittendum consensum: Ergo non consentit liberè. Hæc duo principia per otiū explicui in Prodromo Disp. 5. cap. 14.

CAPUT XI.

Solutiones.

CCX. Multas aliqui carpunt vias. Repetunt primò, DEUM esse priorem creaturâ in operando, DEUM præire, creaturam sequi. Verissimum, quis unquam hoc negavit? Sed falsum, quod sit prior istâ specie prioritatis, per viam scilicet inevitabilis, ac irresistibilis determinationis ad unum; consistit itaque ea prioritas certissimè prorsus in eis, quæ sæpè dixi. V. g. In eo, quod ex operatione qualibet libertatis A arguatur DEUM quoque operari; sed non ex qualibet operatione DEI arguatur, operari libertatem etiam creatam. Item in eo, quòd innumeræ operationes DEI præcedant tempore operationibus omnibus libertatis A. Item in eo, quod priusquam hæc operetur quidquam, DEUS producat, & continuò conservet illam, quando, ubi, quamdiù, & quomodo vult; quòd tamen facere nequit creatura respectu libertatis Divinæ. Ergo hujus innegabilis prioritas subsistit absque isto Decreto. Repetunt secundò, libertatem creatam non esse primum liberum, sed esse subordinatam Divinæ. Verissimum; sed non ista specie subordinationis per inevitabilem, atquè irresistibilem impulsum ad unum. Consistit hæc subordinatio in eis, quæ sæpè dixi. Vos non negatis DEUM esse Trinum; sed negatis esse Trinum ratione distinctionis formalis ex natura rei. Non negatis intellectum creatum videre DEUM, sed negatis eum videre ratione virtutis partialis ad producendū visionem beatificam, &c. Est aliquibus familiare, privatas suas obtegere opiniones propositionibus, quarum dubium nunquam venit in mentem adversariis; quia nervus difficultatis non est in illis, sed in tali, vel tali applipli-

plicatione, in tali, vel tali modo, in tali, vel tali circumstantia ex privatis principiis adjecta. Quocircà earum ingeminatio maximarum, aliquid videtur habere verberationis aëris.

CCXI. Repetunt tertiò, argumenta nostra esse eadem, quibus primum Adrumetini, tum Massilienses oppugnabant doctrinam Augustini contrà Pelagium. Sed contra. Eadem absurda, quæ illata ex unâ sententiâ sunt frigida, quia male inferuntur, illata ex aliâ solent esse ignea, quia sine remedio inferuntur. Verum est, quod pleraquè absurda, quæ inferimus ex vestra sententia, inferebant utrique Monachi ex sententia Augustini, sicut hic sanctus Doctor prius intulerat illa ex sententia Manichæorum; sed cum hoc potentissimo discrimine, quod utriquè Monachi inferebant illa ex Catholica doctrina Augustini (& consequenter male inferebant quia ex vero non sequitur falsum;) scilicet *interiorem gratiam DEI per Christum Dominum prævenientem & coadjuvantem esse omninò necessariam ad quodvis opus salutare*. Cujus contradictorium, utpote sæpissimè proscriptum ab Ecclesia, in nullius Catholici mentem venit. Cæterum ista eadem absurda, quæ pessimè inferebant illi Monachi ex hac doctrina Augustini, Sapientissimè inferebat hic sanctus Pater ex sententia Manichæorum, & nobis videmur nos optimè inferre ex vestra peculiari sententia, scilicet, quod *inevitabili atquè irresistibili determinatione propellat DEUS creaturas liberas potius in unam partem, quam in aliam*; Ergò licet argumenta, seù absurda sint eadem, sunt contra diversissimas sententias. Quod enim interior gratia per Christum Dominum sit indispensabiliter necessaria non solum ad possibilitatem, ut judicabat Pelagius; sed etiam *ad velle, & operari*, ut contendebat Augustinus, toto Cœlo distat ab ista inevitabili, & irresistibili determinatione ad unum actum v. g. naturalem honestum, de quo solo, ut toties monui, disputo nunc, quamvis interdum per accidens, ac per modum exempli, aut ratione subjectæ materiæ, dicam actum supernaturalem.

CCXII. Respondent quartò, Prædeterminationem esse extrà actum primum proximum, undè manet hic indifferens ad utrumvis. Sed contra. In primis hoc non habet locum in præsenti; nam loquimur de complexo ex isto Decreto subjectivè absoluto, & terminativè conditionato impediente scientiam mediam, & ex ipsa libertate creatâ, quod complexum non est in signo posteriore ad libertatem. Secundò, actus primus proximus est ipsa libertes indifferentiæ, seù una pars illius; ergo dicere, prædeterminationem non destruere libertatem, quia non constituit actum primum proximum, est dicere, non destruere libertatem, quia non constituit libertatem. Undè erumpit nova hæc causalis? num ut unæ res sint essentialiter oppositæ cum aliis, necesse est, quod sint constitutiva illarum? Num carentia Petri desinit opponi essentialiter cum hoc, ex eo, quod non constituat illum? Ergo ista ratio est insufficiens. Tertio, vel Prædeterminationem esse extrà actum primum proximum relinquit in ea duo illa prædicata, de quibus est præsens difficultas, nempè esse *inevitabilem*, & *irresistibilem*, vel tollit alterutrum. Si hoc, jam conceditis, quod volumus; Si primum, relinquit totam quidditatem necessitatis simpliciter antecedentis: quia redeunt rationes datæ, & consequenter inimicitiam cum libertate indifferentiæ. Incarceratio, catena insolubilis, & similia etiam dici possunt esse extra actum primum proximum ad fugam. Nam certum est, quod ille non constituitur per hujusmodi impedimenta. Cur ergò non fugiunt omnes incarcerati? Cur non veniunt audituri sacrum; similiter status beatificus, unioquè hypostatica sunt extra actum primum proximum, qui sit ad peccandum. Status damnationis est extra actum primum proximum, qui sit ad conversionem Theologicam, Igitur illa cohærere possunt cum proximâ libertate ad peccandum, & status ille cum proximâ facultate ad conversionem. Quartò repugnat juxta vestram doctrinam, quod sit extrà actum illum: quoniam actus primus proximus est plena, & expedita sufficientia ad utrumlibet. Ergo constituitur per omnia quæ sunt indispensabiliter prærequisita, vel per potestatem acquirendi illa; non enim dantur pecuniæ,

quæ

quæ sufficiunt, ubi deest summa, quæ requiritur, & omnis facultas acquirendi illam; At per vos prædeterminatio est unum è prærequisitis, & homo non habet ullam potestatem acquirendi illam; ergo actus primus proximus intrinsecè constitui debet per illam juxta vestra principia; Ergo si modo dicitis, quod non constituitur, jam habemus aliquid; nempè contradictoriorum par. Sed esto quod prædeterminatio sit extra actum primum proximum; non ità sua carentia; nam actus primus proximus indifferens ad utrumlibet constituitur intrinsecè per carentiam omnis impedimenti irresistibilis, & inevitabilis, & consequenter per carentiam istius prædeterminationis; Ergo licet hæc sit extrà eum actum, nequit tamen illi coëxistere, quippè coëxistere nequit suæ carentiæ, quæ est unum constitutivum illius actûs; Ergo nequit existere prò posteriore ad illum, aut in signo aliquo intermedio, nisi dicas duo contradictoria posse existere in eodem instanti, modo existant in diversis signis, id est, modo sint distincta, quia signa rerum non sunt capsæ, vel cubicula, intrà quæ sint res inclusæ, sed res ipsæ formales. Quocirca nego, quod prædeterminatio relinquat totum actum primum proximum cum indifferentiâ ad utrumvis, quia non relinquit suam carentiam, quæ est unum è constitutivis illius actûs primi proximi. Ista posterioritas idonea esset rei præsenti, si prædeterminationem redderet vitabilem per nostram libertatem indifferentiæ, gratiosè donatam à DEO, & constitutam per interiorem gratiam Spiritûs sancti, cui tamen resistere possimus.

CCXIII. Respondent quintò, utentes potestate *antecedente*, secus *consequente*: in sensu *diviso*, secus in sensu *composito*: ad consensum *secundum se*, & *secundum sua essentialia*, & quoad existentiam *signatam*, secus quoad *exercitam*, ac *reduplicativè, ut prædefinitam à DEO*. Sed contrà: Speciem eandem potestatis antecedentis cum impotentiâ consequente, in sensu diviso, secùs in sensu composito, habet humanitas Christi ad peccatum secundum se, nempè casu quo deficeret unio hypostatica, & damnati ad pœnitentiam salutarem secundum se, & secundum sua essentialia. Nempe casu quo liberarentur ab eo statu, & donarentur gratiâ supernâ, & homo ferreis catenis ligatus ad fugam secundum se, & qui panem non habet, nequè facultatem acquirendi illum ad comedendum optima quæquè secundum se & secundum sua essentialia: nempe casu quo haberent prærequisita, quæ non habent, neque facultatem adipiscendi illa. Ideonè isti Omnes habent libertatem indifferentiæ ad hæc omnia, respectivè sufficientem ad merendum, &c. Et ratio est. Hominem, cujus dissensum DEUS prædefinivit isto decreto, subjectivè absoluto, &c. habere potestatem antecedentem, sed non consequentem ad consensum in sensu diviso, non in sensu composito, ad consensum non ut prædefinitum, sed secundum se, & alia hujusmodi. Rogo: quid est hoc entitativè ex parte rerum? Vel enim est, hominem istum habere libertatem ad ponendum consensum pro casu, quo deficiat ista prædefinitio? Vel etiam prò casu quo non deficiat? Si primum. Ergò solum conceditis, hominem istum esse liberum conditionatè, nempè fore liberum, si deficeret ista prædefinitio. Cum ergò supponamus, illam non deficere, habebimus hominem illum actu absolutè non esse liberum. Si secundum, illud est prorsus falsum, quia nequè homo, nequè Angelus habet libertatem ad chimæram, & per vos esset chimæra, quod non deficiente ista prædefinitione, seù Decreto terminativè conditionato de carentiâ consensûs, existeret consensus. Et hinc patet disparitas ad casum libertatis voluntariè omittentis amorem. Omnes quidem utimur istis terminis explicandi ergo, hominem esse liberum ad amandum, etiam quando omittit amorem; sed non utimur illis in isto sensu, qui alienus omninò videtur nobis à veritate: Etenim homo hic consequenter ad omissionem amoris habet quidem impotentiam ad amorem, quia quodvis, dum deficit, necessariò deficit; sed hæc impotentia est verè consequens *ad libertatem ipsam* amandi; ideo enim nequit ponere amorem in eo instanti, quia in eo instanti omittit illum, & ideo omittit, quia vult culpâ suâ, & ideo vult, quia vult, ita ut totum hoc nego-

negotium determinétur à solâ ipsa libertate creatâ, quam DEUS gratiosè dat, conservat, & gratiâ per JESUM Christum munit: Cæterum in vestrâ sententia habent voces istæ diversam valdè significationem; nam consequenter ad istam prædefinitionem nequit homo ponere consensum; ista verò prædefinitio non est per vos suppositio ullatenus consequens ad ipsam libertatem creatam, sed purè, & præcisè ad Divinam, prò cujus solius nutu existit, aut non existit istud Decretum.

CCXIV. Respondent sextò, Divinam libertatem esse radicem humanæ, undè salvatâ illâ, salvatur hæc. Sed cur non infertis similiter, quod DEO divite, homo omnis est dives, & DEO vivente, omnis creatura est vivens? Si libertas Divina foret radix necessaria, ita ut non posset habere DEUS libertatem, quin creatura haberet etiam libertatem hanc indifferentiæ, esset utcumquè bonus discursus: Sed cum Divina libertas non connectatur metaphysicè cum creatâ, siquidem DEUS eâdem facilitate, ac sanctitate, quâ donat & conservat hominibus libertatem indifferentiæ ad salutares operationes, poterat oppositum: indè est, quod ista non est solutio. Explicatur. Etiam Divina libertas est radix libertatis ad pœnitentiam salutarem, & ad cætera omnia, quæ creaturis sunt libera. Ideonè damnati habent libertatem ad salutarem pœnitentiam, aut ligatus catenâ est verè liber ad fugiendum: Absit: quia stat, DEUM esse liberrimum, creaturamquè esse antecedenter necessitatam, vel impotentem. Et sicut esset res omninò aliena à veritate, dicere, Dæmonem actu frui visione beatificâ, eo quia illa continetur in omnipotentiâ, quæ sanè actu existit in rebus, ita dicere hominem prædeterminatum, aut isto Decreto ligatum, fungi libertate indifferentiæ, eo quod hæc contineatur in Divinâ. Respondent septimò, DEUM prædefinire consensum non solum secundum substantiam, sed etiam quoad modum libertatis, id est, velle efficaciter, quod consensus existat sub libertate A, & consequenter existat liberè. Pulchra implicatio in terminis, sicuti diceres DEUM antecedenter necessitare ad consensum, ut liberum, vel ad lucem, ut conjunctam cum tenebris. Undè sicut hæc necessitas est chimæra, quia sibi ipsi contradicit, ita DEUM isto decreto velle irresistibiliter, & inevitabiliter consensum, ut liberum, sivè sub libertate A, sibi ipsi contradicit; nam per se destruit libertatem ipsam, quam efficaciter vult: Quocircà cum ista solutio sit petitio principii, refellitur instaurando argumenta superiora, & probando, esse prorsus impossibile, quod DEUS inevitabili, & irresistibili determinatione impellat ad consensum, ut liberum.

CCXV. Respondent octavò cum indifferentiâ judicii, quâ salvatâ, salvari ajunt libertatem, datâ autem dicta prædefinitione, seù Decreto, potest dari judicium indifferens; sed contra. Etiam ligatus ad catenam, quam reflexè non advertat, potest habere judicium indifferens ad currendum, vel non currendum, id est judicium proponens motiva allicientia, & retrahentia; Currat ergo. Ratio est. In differentia judicii, vel est tota, & adæquata libertas indifferentiæ, vel est unum solum constitutivum illius. Si primum petis principium; nam cum argumenta suadere intendant, non perseverare in creaturâ libertatem indifferentiæ, respondere, quod perseverat indifferentia judicii, intelligendo totam libertatem indifferentiæ, est respondere conclusione ipsâ, quæ impugnatur. Undè instaurantur à quovis illa argumenta, assumendo istum terminum, & istam termini intelligentiam. Si secundum, cum possit perseverare unum constitutivum, deficiente constituto, ut mortuo homine perseverat Anima, & materia prima, quod perseveret indifferentia judicii, impar est probando, perseverare libertatem ipsam. Explicatur. Perseverare judicium indifferens non est aliud ex parte rerum, quam perseverare judicium ità proponens objectum, ut neque rapiat necessariò in Amorem, nequè necessario in amoris carentiam, hoc est, perseverare motiva attrahentia, & retrahentia. At quamvis hinc inferatur, non resultare in voluntate ex hac parte judicii ullam necessitatem, vel impossibilitatem antecedentem, non infertur, quod ex alia

parte

parte non resultet. Probatur, quamvis ex parte judicii neutra resultet, potest tamen resultare ex eo, quod homo careat principio supernaturali, ipsum elevante ad amorem supernaturalem, vel ex eo, quod DEUS supremo suo utens Dominio corripiat necessitantem voluntatem ad eum amorem; Vel ex eo, quod aliquo ex infinitis suis actibus possibilibus neget suum concursum ad amorem in eo instanti; quæ enim duo contradictoria sequentur ex eo præcisè, quod habente homine rationes allicientes, & retrahentes, contingat aliquod ex his inscio homine? Ergò aliunde quam ex parte judicii potest illi provenire antecedens impossibilitas, vel necessitas; Ergo ex eo præcisè, quod perseverat judicium indifferens, quod est una sola pars libertatis, male arguitur perseverare libertatem ipsam, & hoc est, quod contingeret in casu præsenti; Demus, existere cætera omnia constitutiva libertatis; sed adhuc deficit unum, scilicet carentia istius Decreti (quia, ut sæpè dixi, & probant argumenta jam data, libertas indifferentiæ constituitur per carentiam istius Decreti, siquidem est essentialiter oppositа cum inevitabili, & irresistibili determinatione ad unum, & non includit aliud constitutivum sic oppositum, nisi carentiam istius Decreti) ergò licet perseveret judicium indifferens, & reliqua constitutiva libertatis, hæc non perseverat existente isto Decreto; nam eo existente, non datur ipsius carentia. Sic qui nescit, sibi esse antecedenter negatum à DEO Canonicatum, vel Episcopatum, & consequenter se nequè habere, nequè unquam habitutum libertatem ad hanc rem, potest habere judicium indifferens circà alterutrum, hoc est rationes attrahentes, ac retrahentes, circà alterutrius consecutionem. Sic qui nescit se esse antecedenter determinatum a DEO, ut sit Papa, sine ullo ipsius interventu plusquam merè passivo, potest habere judicium indifferens circà Papatum, id est, nequè in hunc, nequè in hujus carentiam rapiens necessariò voluntatem. Tandem prætereo tacita multa sophismata, quæ possunt erui ex syllogismis disjunctivis, ex conditionalibus, ex combinatione scientiæ mediæ Directæ cum reflexâ, & cum inversâ sibi respondente, quippè illa omnia dedi in Prodromo Disput. 5. num: 188. & seqq.

§. *Secundus.*

CCXVI. Unum solum sophisma omittere nolo, quia quotannis auditur in materia scientiæ mediæ reflexæ. Formo illud in materia minus obscurâ, & magis certâ. Sicut David timens sibi à Saule, & Ceilitis, consuluit DEUM, & hîc respondit de Saule. *Descendet*, ac de Ceilitis *Tradent*. Esto quod alius consuleret DEUM super probo Rege, Duce, Episcopo, &c. Sic. *Domine, si prævidisses hunc malè usurum libertatibus Regiis, Episcopalibus, &c. fecisses eum Regem, Episcopum, &c.* Esto etiam, quod DEUS responderet *non*. Tunc sic. Hoc oraculum non læderet sanè libertates indifferentiæ, quibus vir ille fungeretur. Et tamen esset in primis omnino inevitabile illi viro, quoniam ab illo non penderet, quod DEUS daret, vel non daret ei libertates illas prò casu quo abusum illum prævideret. Nequè penderet, quod DEUS responderet, aut non responderet consulenti super casu illo. Deindè oraculum illud foret per se Metaphysicè, absolutè, ac determinatè oppositum malo usui libertatum illarum (qui malus usus foret utiquè aliquod exercitium liberum earum) Probatur. Omne per se metaphysicè, absolutè, ac determinatè oppositum cum termino, cum quo his eisdem modis connectitur malus ille usus, his eisdem modis opponitur illi malo usui, ut in ea Disputatione quinta ostendo. At oraculum illud esset sic oppositum cum termino, cum quo sic connectitur ille malus usus: Quoniam hic ex suâ essentia connecteretur sic cum existentiâ illarum libertatum (implicat enim, quod libertas non existens in rebus malè operetur) & insuper cum Divinâ præscientia conditionata ipsius mali usus, quoniam etiam implicat hominem malè uti sua libertate, quin DEUS id præviderit. Oraculum autem illud per se Metaphysicè absolutè opponitur complexo ex illarum libertatum existentiâ, ac ex illius mali usus præscientiâ, quia oraculum, utpotè Divinum, est infallibile, atquè dicit. *Si Vir iste malè*

1. Reg. 23.

usurus esset libertatibus Regiis non facerem eum Regem, seù, *non darem illas ei.* Ergo oraculum esset modis dictis oppositum termino, cum quo essentialiter connecteretur malus ille usus. Ergo esset oppositum illi malo usui. Ergò esset impedimentum illius, & quidem inevitabile, ut initio dixi. Ergò aliquod inevitabile impedimentum exercitii libertatis hanc non lædit. Cumque opposita propositio sit una ex basibus scientiæ mediæ, hanc collabi necesse est.

CCXVII. Huic sophismati, quod sub aliis terminis proposui eâ Disput: 5. num: 229. sub aliis quoquè terminis respondi ibidem numero 231. Proposito autem sub nuperis terminis, sub his aliis respondeo. Absquè jacturâ libertatis indifferentiæ potest homo ligari in A v.g. impedimento essentiali sui exercitii, & sibi *inevitabili entitativè in seipso*, quando licet nequeat vitare impedimentum *in seipso*; verumtamen, quod illi impedimento subjaceat, sivè illo, hic, & nunc ligetur, pendet ex ipsâ libertate A, quam tunc habet, atque in ipsam resolvitur tanquam in principium, seù potius comprincipium, ex quo provenit, quod homo ligetur illo impedimento (distingue inter hoc quasi abstractum *impedimentum inevitabile*, & hoc quasi concretum, *Pati* hoc impedimentum, *ligari eo*, *subjacere illi*) tunc enim licet impedimentum quoad suam existentiam, & in seipso non sit consequens ad libertatem ipsam; *pati* illud, *ligari* illo, *subjacere* illi, est consequens ad ipsam libertatem, & consequenter non tollit libertatem sufficientem ad meritum, ac demeritum. Sic quamvis homo ligatus ferreâ catenâ, nequeat facere, quod illa catena penitus destruatur, & non sit in rerum natura; si tamen pendet ab actuali exercitio suæ libertatis, quod sit in ipso homine catena illa, & quod ipse ligetur illâ, & quod subjaceat illi, homo ille non amittit suam libertatem indifferentiæ ex hoc capite ad currendum. Id contingeret in isto casu. Verum est, quod istud oraculum *non* foret impedimentum essentiale illius mali usus, propter rationem, quæ attingitur in objectione: Verum item, quod esset penitus inevitabile per libertates illas, ut ibidem dicitur. Cæterum quod illæ libertates *ligarentur* eo impedimento, quod illi *subjacerent*, penderet ex ipsis libertatibus, & in eas resolveretur, tanquam in principium, inadæquatum saltem, ligaminis hujus. (Sicut, quod existat DEES, est res prorsus independens à nobis, quod verò nostri actus liberi DEO coëxistant in nostram ipsam libertatem resolvitur) casus quippè argumenti objecti est, quod *si DEUS prævidisset* virum illum libere libertate indifferentiæ, & consequenter absquè ullo principio inevitabiliter, & irresistibiliter connexo, aut oppositò cum uno exercitio determinatè, abusurum eis libertatibus, *non daret illas*, seù virum illum non faceret Regem.

CCXVIII. Atqui ex ipsius viri libertatibus intrinsecè constitutis per prævenientem gratiam, hoc est per Divinas inspirationes in suo genere cooperaturas, penderet, quod esset bonus, aut malus usus, atquè in ipsas resolveretur: Ergo supposito isto casu, nempè, quod DEUS non daret illas libertates indifferentiæ, quibus Rex, & non alius fungitur, *si futurus esset malus usus illarum*, ex ipsis libertatibus pendet, atquè in ipsas resolvitur (negativè utiquè, quia certè non sunt causa physica positiva sui ipsarum) quod ipsæ libertates existant in rebus. Quæ sanè species dependendi à seipsis supponitur in isto argumento. Et non est impossibile, quod res pendeat à se ipsa in genere objectivo, quippè hoc in eo solum stat à parte rei, quod prævisio effectus liberè, aut necessario prodituri ex illa re, moveat, aut retrahat ab illius executione. Et hoc contingit, quoties voluntas libera concipit hunc actum. Volo facere rem A, quia certum est, inducturam (libere aut necessario) talem determinatè effectum. Et in hoc etiam sensu finis pendet objectivè à seipso: quoniam ut cognitus movet ad executionem mediorum physicè influentium in eum. Tunc sic. Sed libertates illas ligari eo impedimento, eoque *premi*, constituitur intrinsecè essentialiter per ipsasmet libertates: Quoniam si hæ non existerent in rebus non ligarentur, aut premerentur eo impedimento, quamvis id physicè existeret

in

in rebus. Ergò quamvis impedimentum, nempè illud divinum *non*, minimè pendeat ex illis libertatibus quoad ſuam ipſius exiſtentiam ; verumtamen ex illis pendet, & in illas reſolvitur quod illa *ligentur*, ſivè *premantur* illo impedimento ; quandoquidem ſuppoſito caſu iſto, quod non darentur à Deo, ſi ſponte, atquè ex merâ ſua determinatione operaturæ eſſent malè, pendet ex ipſis (negativè, non poſitivè ; item in genere objectivo, non in genere phyſico) quod ipſæ in rebus exiſtant. Sibi ergo imputent, quod iſto premantur impedimento.

CCXIX. Hinc primò habes, quo ſenſu intelligendum, & quo ſenſu non intelligendum principium illud apud nos ſanctum. Impedimentum eſſentiale actionis, penitus inauferibile ab homine, deſtruit in hoc libertatem indifferentiæ ad illam actionem. Intelligitur hoc, quando ità inſtituitur caſus, & circumſtantiæ combinantur, ut minimè pendeat ex ipſa libertate, quod *ipſa prematur*, ſeù *ligetur* impedimento illo ; Et idem dicendum de fundamento connexionis eſſentialis præſente, ac inauferibili. Habes ſecundo ſolutionem ſimilis ſophismatis, quod objici paſſim ſolet contra ſcientiam mediam reflexam, nec non contra decretum collativum, & unicum auxilii, *quia eſt efficax*, vel *quamvis ineffícax ſit*.. Habes tertiò diſtinguendum eſſe inter impedimentum eſſentiale unius actionis liberæ, quod ſit prærequiſitum ad operationem, ſeù exercitium *contradictorium* : Et impedimentum eſſentiale, quod non eſt prærequiſitum *ad contradictorium*, ſolutio data procedit de hoc ſecundo. Quoniam impedimentum mali uſus earum libertatum, de quo procedit ſophisma, eſt illud Divinum *Non*. Hoc autem non eſt prærequiſitum ad bonum uſum, quia ſivè Deus conſuleretur, ſivè non : Item ſivè reſponderet, ſivè non, poterat ille Rex male uti Regiis libertatibus. Undè oraculum illud eſt impedimentum diſparatè, ſeù comitanter duntaxat ſe habens ad uſum malum. Si autem impedimentum eſſentiale unius liberi exercitii eſſet prærequiſitum ad exercitium contradictorium, imbiberetur eſſentialiter in actu primo proximo ad ponendum hæc. Sed hic actus primus proximus conſtituit libertatem indifferentiæ ad utrumvis ; Ergo aliquid eſſentialiter impediens unum exercitium liberum, imbiberetur eſſentialiter in eo, quod eſſentialiter conſtituit libertatem indifferentiæ ; ergò imbiberetur eſſentialiter in hac libertate ; Ergo hæc eſſet, ut ſupponitur, & ſimul non eſſet indifferentia ad utrumvis. Habes quartò, diſparitatem ad phyſicam prædeterminationem boni uſus libertatis. Illa namquè ita eſt impedimentum eſſentiale mali uſus, ut non ſe habeat diſparatè, aut purè per accidens, ad bonum uſum ; ſicut ſe haberet illud *non* ; ſed ſit juxtà ſuos authores prærequiſita eſſentialiter ad ipſum bonum uſum, & omninò contrarium eſt, quod verificatur de illo Divino *non*.

CCXX. Hinc naſcuntur duæ diſparitates. Prima, illud *non*, eſſet quidem in *abſtracto*, ac ſecundum ſuam exiſtentiam abſolutam inevitabile ab iſtis Regiis libertatibus ; At *in concreto*, id eſt, ut *actu premens*, *urgens*, & *ligans* illas, eſſet ab illis evitabile antecedenter, quatenus ideo illæ actu premuntur eo *non*, quatenus actu ſunt in rebus ; Et hactenus actu ſunt in rebus, quatenus ex mero ſuo libito actu operantur benè absque ullo impulſu prævio irreſiſtibili, & ſimul inevitabili ſibi, ſiquidem ſupponis, quod non darentur à Deo, & conſequenter, quod non exiſterent in rebus, niſi operaturæ eſſent bene ex mero ſuo libito absquè dicto impulſu ; Ergo eatenus premuntur illo *Non*, quatenus ex mero ſuo libito operantur benè. Ergo, quod actu premantur illo *non* pendet ex ipſarum libito, ſuppoſitâ illâ Divinâ determinatione. Dices, voluntatem actu prædeterminatam eatenus premi, & urgeri prædeterminatione, quatenus in tantum exiſtit in rebus, in quantum operatur ex mero ſuo libito absquè irreſiſtibili, & inevitabili impulſu ? Non vides implicationem in terminis in eo, quod creatura exiſtat, & prædeterminetur dependenter à ſuo ipſius exercitio libero.

CCXXI. Secunda. Cum illud oraculum Divinum non ſit prærequiſitum

ad

ad exercitium bonum, aut malum illarum libertatum; indè est, quod per scientiam ab illo præscindentem potest Deus scire, quomodo se exercerent illæ libertates: Undè illud *non* stare potest cum præscientia, quâ sciat Deus, fore, ut si existant illæ libertates, illæ eædem ut adjutæ divinâ gratiâ, & hac cooperante, operarentur benè absquè ullo impulsu sibi inevitabili, ac irresistibili. At cum prædeterminatio dicatur essentialiter prærequisita ad exercitium omne libertatis creatæ, impossibile est, quod ab eâ præscindat scientia, quâ DEUS cognoscat, quid ageret libertas A creata, si existat. Nam quid aget absque essentialiter prærequisito! nil. Atqui sophisma innititur suppositioni præscientiæ divinæ dictæ. Ergo non potest detorqueri in favorem prædeterminationis argumentum, quo probatur dictum *non*, esse conjungibile cum libertate: quandoquidem hoc *non* stat cum ea præscientia quæ est scientia media, cum quâ non potest stare physicè prædeterminatio.

CCXXII. Quamobrem libertatem indifferentiæ *premi*, & *ligari* dependenter à suo exercitio per aliquod, quod in suâ entitate, in sua existentia sit ei libertati inauferibile impedimentum, aut fundamentum connexionis essentialis, eo quod ipsa existat dependenter à à suo exercitio in sensu dicto, nimirum negativè, atquè in genere tantum objectivo. Id inquam sufficit conservationi libertatis ipsius, quando illud impedimentum, aut fundamentum connexionis disparatè se habet, hoc est, quandò necessarium non est, sivè ut existat, sivè ut deficiat exercitium libertatis. Non verò sufficit quandò illud, sivè fundamentum connexionis, sivè impedimentum est penitus necessarium ad aliquod ex duobus exercitiis libertatis: Quoniam tunc, vel non esset scientia media, scientia illa, quæ significatur per illas voces. *Si præviderem* malè operaturas has libertates, &c. vel mutabitur aliquod essentiale prædicatum illius impedimenti, aut illius connexi. Denique memineris casum singularem, in quo Deus dat singularem libertatem dependenter à prævisione conditionatâ exercitii, quod hæc ex merâ suâ, & pura determinatione ponet, & in quo non daret illam, nisi prævideretur sic operatura: casum inquam hunc singularem non esse regulandum per generalia principia libertatis non sic datæ per Deum. Quippè hic singularis casus imbibitum portat secum, quod illa libertas indifferentiæ ponat ex merâ suâ determinatione tale singulare exercitium; hoc autem suppositio, impotentiæ, aut necessitates, quæ indè inferuntur sunt consequentes ad ipsammet libertatem, seu ad casum ipsum, quem ponit arguens.

CAPUT XII.

Repugnat prædefinitio Efficax peccati quoad materiale.

CCXXIII. Hoc est tertium argumentum prò scientia media, & à quo hactenus ægrè aliqui sese explicare possunt. Sub multis libertatibus indifferentiæ datur malitia formalis peccati, ut experientia constat. Tum sic. DEUS infallibiliter hoc præcognoscit, quandò hoc futurum est. Vel tunc habet Decretum efficax hujus pravi eventus nascituri ex ea libertate; Vel non habet; Si primum; Ergo est author, & causa per se malitiæ formalis peccati. Si secundum, eccè jam præscientiam conditionatam alicujus exercitii liberi creaturæ absquè decreto efficace illius: Ergo ea Præscientia, ut exprimens tale exercitium non est libera Deo, quia cum non sit exercitium immediatum divinæ voluntatis solum poterat esse libera Deo, quatenus supponeret istud Divinum decretum; Ergo est scientia media. Respondent, in peccato distinguendum esse inter subtractum malitiæ; seù materiale materialiter sumptum, & prout non dicit imperfectionem, & prout continetur intrà sphæram Divinæ Omnipotentiæ, &c. (hæc omnia significant idem, habent tamen suam utilitatem, scilicet prolongare propositiones) & inter abstractum malitiæ, id est malitiam formalem, seù formale peccati formaliter sumptum, & prout dicit imperfectionem, & prout non continetur intrà sphæram Omnipotentiæ. Addunt, illud